

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Albert Hein Azarias Sturtz

## **Disputatio VII. De Transactionibus**

Rostochii: Typis Reusnerianis, 1601

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72831598X>

Druck Freier  Zugang







30

# Disputatio VII. DE TRANSACTIO- NIBVS.

*Quam*

DIVINA ASPIRANTE GRATIA,  
P R A E S I D E  
*Clarissimo & Consultissimo viro,*  
DN. ALBERTO HEINIO,  
J. U. D. & in alma Rosarum Academia  
DECRETALIUM professore  
ordinario,

*Publici exercitij gratia habebit*  
AZARIAS STURCIUS.

*Fiet disputatio die 4. Julij, in auditorio magno,*  
*initio ad horam 6. matutinam facta,*

I.D. 116. 30.

ROSTOCHII  
Typis Reusnerianis. Anno 1601.



Landskript 120c



### *Thesis I.*

**D**inceps de TRANSACTIONIBUS vi-deamus.

Est autem Transactionio rei dubiæ, & litis incertæ, neque finitæ, conventa decisiō, dato aliquo, vel retento, seu promisso.

### II.

Species Transactionis usitatè ponuntur duæ, videlicet simplex, quæ solo pacto convento fit, & alia quæ acceptilatione fit. Et acceptilatione rursus vel simplici, vel eâ, quæ fit invento modo novandi per Aquilianam stipulationem.

### III.

Potest etiam transactionis distribui in generalem, & specialem, in juratam item & injuratam.

### IV.

Generalem transactionem dicimus, cum aut infinitè paciscitur creditor se nihil à reo petitum, aut paciscitur finitè quidem de re certâ, sed eâ quæ verbo communi vel generis, vel totius, res aut species partesve plures complectitur; veluti si transactum sit de hereditate, de tutela, de negotiorum administratione. Ex quibus simul quæ specialis transactionis dicatur per se liquet. Quemadmodum & quæ jurata sit, quæ injurata, nemini non est cognitum.

A 2

Illud

V.

Illud fortè dubitari posset, si de certa re pacto transactionis interposito, hoc comprehensum sit, nihil amplius peti, utrum, etsi additum non sit, eo nomine, de ceteris tamen quæstionibus integra permaneat actio? sed permanere Diocletianus & Maximianus nominatim rescripsere.

VI.

Transigere porrò cuncti possunt, qui & pacisci, hoc est, consentire possunt, & mente sani sunt, licet ægri corpore.

VII.

Sed hoc ita si & sibi non alijs transigant. Ut enim pacisci alteri nemo potest; Et generaliter conventione nulla cum alia personâ facta, in alia personâ nocet; sic neque alterius transactione jus ceterorum lædi potest.

VIII.

Atque hinc igitur transactione quæ inter heredem & matrem defuncti facta est, neque testamentum rescissum videri posse, neque manumissis vel legatarijs actiones suas ademtas, Scævola rectè scribit.

IX.

Et si debitor, cuius pignus creditor non jure distraxit, cum Mævio, qui se legitimum creditoris heredem esse jactabat, transegit; postea autem testamento prolatâ Septicium heredem esse appareat; Septicius hic, si cum eo debitor pignoratitia agat, exceptione transactionis cum Mævio factæ uti non valet, teste eodem Scævola.

Simi-

X.

Similiter transactio cum quibusdam ex curatoribus sive tutoribus facta, auxilio ceteris non est in his, quae separatim communiterve gesserunt, vel gerere debuerunt. Unde si tres curatores quis haberit, & cum duobus ex his transegerit, tertium convenire non prohibetur.

XI.

Ac instantum superius tradita regula, Transactione alterius, jus ceterorum non laedi, vera est, ut neque de re filiorum quos in potestate non habet, pater transfigens, eis obesse possit, non magis quam mater transfigendo præjudicium filijs generaret.

XII.

Quinimo nec de filijfamilias castrensi vel quasi castrensi peculio, pater transfigens, ei nocere potest.

XIII.

Idemque & in adventitio peculio juris hodiè esse, & neque de eo hodiè patrem recte transigere, contra Accursium, cum Cujacio asserimus.

XIV.

Denique transactionis placitum ab eo interpolatum, cui causæ actionem non litis decisionem mandavimus, nihil petitioni nostræ derogare Imperator Gordianus rescribit.

XV.

Idemque & de procuratoribus principis ut scilicet inconsulto eo transigere non possint Æmilius

A 3

Macer

Macer libro primo ad legem vicensimam hereditatum scriptum reliquit.

XVI.

Planè si cui universorum bonorum administratio concessa est, aut id ipsum nominatim mandatum, aut denique in rem suam procurator est, quin rectè is transfigat, dominoq; transactio illa prospicet vel noceat dubitari non oportet.

XVII.

Æquè filijfamilias aut servi interpositum transactionis placitum, etiam adversus patrem dominumve ratum habetur, si liberam peculij administrationem habeant, & res de qua transactio facta est, peculiaris sit.

XVIII.

Utcunque inter dominum & servum interposita transactio extra libertatis causam rata non sit, nec ex placitis dominus servo teneatur atque obligetur.

XIX.

Sic tutor quoque vel curator cum fure rectè transfigit, furtique actio evanescit. Quod & ad similes casus extendendum esse arbitramur, saltem, quatenus non diminuendi causa transigunt.

XX.

Et administratoris civitatis de dubia lite facta, transactio, rata est, & civitati nocet.

XXI.

Similiter si venditor hereditatis, emtori mandatis actionibus, cum debitore hereditario, qui yenditam

ditam esse hereditatem ignorabat, transegit, debito ri-  
propter ignorantiam hanc suam, exceptio transacti  
negotij, adversus emtorem hereditatis, hoc debitum  
ab eo exigere volentem, accommodatur.

### XXII.

Idemque responsum est & in eo qui fidei com-  
missam recepit hereditatem, si heres cum ignorantе  
debitore transegit.

### XXIII.

Deniq; rei transactio etiam fidejussori prodest.  
Atque haec tenus qui quibus transigere possint,  
vel non.

### XXIV.

Materia transactionis sunt res dubiæ, & lites in-  
certæ, neque finitæ. Litem autem incertam hic si-  
gnificamus, non eam modò, quæ de præsenti jam  
mota & in judicium deducta est, sed & eam quæ li-  
cet necdum mota est, tamen timemus ne moveatur  
inque judicium aliquando deducatur. Et hoc est  
quod alibi Paulus ait, transactionem valere et si re  
nulla media fuerit. Denique litem hic intelligi-  
mus tam quæ est de negotijs & causis civilibus  
quam de criminalibus.

### XXV.

Et verò cum crimina vel publica sint, vel priva-  
ta: Et rursus vel sanguinis sive mortis pœnam con-  
tineant, vel quam aliam præter pœnam mortis.  
De privatis quidem interposita transactio procul  
dubio tenet. De publicis autem his demum  
transigere licet, quæ pœnam mortis continent:  
Nam ignoscendum jura censuerunt ei qui sanguinem

nem suum qualiter qualiter redemptum voluit; adulterio utique excepto.

X X VI.

In alijs autem publicis criminibus quæ sanguinis poenam non ingerunt, transigere non licet, Sed reus transigens pro victo habetur, & consequenter igitur reatus illius de quo depeccatus est, poena teneatur: accusator autem in SCtum Turpilianum incidit. Excepto hic iterum crimine falsi.

X X VII.

Æquè de alimentis relictis, item habitatione, vestiario, calciario, ex oratione D. Marci, seu quod eam secutum est Senatusconsulto, ita demùm transig i potest, si in urbe auctore prætore, in provincijs vero præside, cumque causæ cognitione transactio fiat.. Quod si à fisco illa debeantur, transactio in provincijs apud procuratorem Cæsaris, in urbe apud præfectos ærarij fieri debet.

X X VIII.

Idque eò cautum Ulpianus scribit, Ne homines tenues & exiguae fortunæ, quibus plerumque alimenta relinquuntur, neglectis futuris alimentis, & modicâ præsenti pecuniâ contenti, facile transigant, & contra quam prospexerit testator postea egeant.

X X IX.

Ceterum causæ ista cognitio in his occupatur, & de his apud prætorem quæri, oratio vult: in primis de causâ transactionis, dein de modo, tertio de personâ transigentium. Et si non de omnibus istis inquisierit prætor, quamvis de quibusdam quæsierit, transactionem irritam esse, dicendum est.

In

### XXX.

In causa hoc erit requirendum, quæ causa sit, transigendi; sine causa enim neminem transigentem audiet prætor. Causæ autē ferè hujusmodi solēt allegari: si alibi domiciliū heres, alibi alimentarius habeat: aut si destinet domicilium transferre alter eorum: aut si causa aliqua urgeat præsentis pecuniæ: aut si à pluribus ei alimenta relicta sint, & minutatim singulos convenire difficile ei sit: aut si qua alia causa fuit, ut plures solent incidere, quæ prætori suadeant transactionem admittere.

### XXXI.

Modus quoque pecuniæ quæ in transactionem venit æstimandus est: utputa quantitas transactionis, nam etiam ex modo fides transactionis æstimabitur. Modus autem pro ætate ejus, qui transigit, arbitrandus est, & valetudine. nam aliàs cum puerō, aliàs cum juvene, aliàs cum sene transigi palam est. constat enim alimenta vitâ finiri.

### XXXII.

Sed & personarum contemplatio habenda est: hoc est, cujus vitæ sint hi, quibus alimenta relicta sunt, utrum frugi vitæ hi sint, qui alias sufficere sibi possint, an sequioris, qui de alimentis pendeant. In persona autem ejus, à quo alimenta relicta sunt, hæc erunt specienda, in quibus sit facultatibus, cuius propositi, cuius opinionis. tunc enim apparebit, numquid circumvenire velit cum, cum quo transigit.

### XXXIII.

Verūm hæc quæ de alimentis hactenus diximus,  
B ad ali-

ad alimenta præterita , id est , præteritorum anno-  
rum porrigi non debent , de his enim si quæstio de-  
feratur , etiam sine prætore aut præside transfigi pos-  
se , Imperator Gordianus nominatim rescribit .

XXXIV.

Sed nec ad futura alimenta quævis SCtum perti-  
net , verum ad ea demum quæ testamento , vel codi-  
cillis , per legatum , fideicommissum , donationem  
causa mortis , aliamve mortis causa capionem reli-  
cta sunt : Item quæ extra testamentum , ab eo cui  
mortis caussa donatum est , sunt relictæ . Ceterū  
de alimentis ex contractu debitīs , non mortis cau-  
sa , licebit & sine decreto transfigi .

XXXV.

Denique eam saltem transactionem oratio im-  
probat , quæ iccirco fit ut quis repræsentatam pecu-  
niā consumat ; non etiam eam quā alimentarij  
conditio indubitanter fit melior .

XXXVI.

Atque hinc igitur si quis , licet citra auctorita-  
tem prætoris , transegerit , ut quod per singulos an-  
nos erat ei alimentorum nomine relictum , conse-  
queretur per singulos menses ; aut quod per singu-  
los menses ei relictum erat , consequeretur per fin-  
gulos dies ; aut quod consummato anno ut accipe-  
ret , initio anni consequatur , quia meliorem condi-  
tionem suam tali transactiōne facit , transactio va-  
let .

XXXVII.

Hic quæritur si alimentarius cui in annos fin-  
gulos decem exempli gratia alimentorum nomine  
legata

legata sunt, in ingressu cuiuslibet anni decesserit, an ejus anni legatum integrum heredi suo relinquit? quod cum ICto Gajo putamus.

### XXXVIII.

Porrò non tantum de futuris alimentis, quasi de incerto rerum eventu, transigi non licet sine prætore, sed neque de lite alimentorum, ne per speciem litis fraus fiat SCto; fingi enim lites poterunt, ut transactio etiam citra prætoris fiat auctoritatem.

### XXXIX.

Quod si quis de alimentis transegerit sine prætoris auctoritate, id quod datum erit, imputatur in alimenta præterita, sive tantum in eo sit quod datum est, quantum in alimentis debitum, sive plus, sive minus: nam etsi minus sit, adhuc tamen id quod in solutum datum est, in præterita alimenta imputabitur, & quod amplius ex causa alimentorum debetur, id præstabitur: si plus sit in eo quod datum est, superfluum condicetur, vel quasi in debitum (nam quod ex ea causa datur, SCtum facit ut nec naturaliter quidem deberi intelligatur) vel quasi sine justa causa datum, vel quasi ex injusta causa, vel quasi ob rem datum. Quæ tamen condictiones cū propriè civiles non sint, sed naturales & jurisgentium, id est, ex bono & æquo, ideo non nisi quatenus is qui accepit locupletior factus est, dantur.

### X L.

Sed & in aliam rem, quam alimenta, quandoque computatur quod ex causa transactionis alimentorum sine prætore factæ solvitur. Ut puta si præ-

B 2 tera

terea quid purè legatum sit.. Quò enim præsen-  
tius priusque debitum est, eò etiam in id citius ex  
inutili transactione solutorum imputatio fit, super-  
fluum in alimenta, si qua debeantur, cedet..

XLI.

Illud non omissendum , etsi aliàs alimentis reli-  
ctis, nedum cibaria, sed & vestiarium, & calciarium,  
& habitatio, lectus quoque sive stramenta debean-  
tur, cum sine his ali corpus non possit. Eum ta-  
men qui de alimentis transigit, non videri neque de  
habitatione, neque de vestiario, sed solis cibarijs,  
hoc est, cibo & potu transfigisse : nisi specialiter  
etiam de istis transegerit.. Sed etsi quis de alimen-  
tis transegerit, non habebit necesse etiam de habi-  
tatione, vel ceteris, invitus transigere. Poterit igi-  
tur vel de omnibus simul, vel de quibusdam facere  
transactionem.

XLII.

Hoc amplius quoque post rem judicatam inter-  
posita transactio nullius est momenti, & soluta ex  
ea causa itemque accepto lata indebiti condicatio-  
ne repetuntur, vel in causam judicati retinentur &  
compensantur, quemadmodum paulò ante de ali-  
mentis quoque diximus. nisi vel appellationis, vel  
in integrum restitutionis solennitate, sententia su-  
spensa sit, aut intra decendum, appellationi inter-  
ponendæ legibus constitutum, transactum fuerit.

XLIII.

Sed etsi judicatum esse negetur, vel ignorari po-  
test, an judicatum sit: quia adhuc lis subesse possit,  
post rem judicatam transactio fieri potest.

Simili-

#### X L I V.

Similiter si incertum sit an sententia valeat, magis est ut transactio vires habeat.

#### X L V.

Denique super re judicata facta transactio tunc improbatur, cum ipse adversus quem judicatum fuit, transegit, non si alius quispiam. Atque hinc si fidejussore convento & condemnato, reus transigat cum eo cui erat fidejussor condemnatus, transactio valet, nec ipsi tantum reo prodest, sed & fidejussori. Atque ita quod per se non potest fidejussor, per reum consequitur.

#### X L VI.

Æquè in matrimonio non habet locum transactio, scilicet ut contra matrimonium aliquid statuatur.

#### X L VII.

Et super decimis interposita transactio, aliter rata non est, quam si de adsensu episcopi vel archiepiscopi fiat, & prævia causæ cognitione.

#### X L VIII.

Similiterque & in transactione quæ de beneficio ecclesiastico fit, Episcopi consensus cum primis est necessarius. Et ut summari dicamus, super nulla re sacra sive spirituali citra auctoritatem superioris transigi potest. Quia speciem simoniæ continet talis transactio.

#### X L IX.

Deniq; nec de his controversijs quæ ex testamen-  
to pro-

to proficiscuntur, transigi aliter potest quam inspectionis cognitisque verbis testamenti.

L.

In tantum etiam, ut nec inspectioni huic & cognitioni verborum testamenti, renunciari simpliciter possit, sed demum mediante juramento.

L I.

Porrò quemadmodum transactio cum alia persona facta, in alia persona neque nocet neque prodet, ita nec in alia re facta, in alia re nocet. Quæcunque enim fit transactio, de his tantum de quibus inter convenientes placuit interposita creditur, iniquumque est perimi pacto id de quo cogitatum non docetur.

L II.

Ac proinde qui cum tutoribus suis de sola portione administratæ tutelæ suæ egerat & transigerat, adversus eosdem tutores, ex persona fratrissui, cui heres extiterat, agens, præscriptione factæ transactionis non submovetur.

L III.

Et qui nondum certus ad se querellam contra partis testamentum pertinere, de alijs causis cum adversarijs pacto transigit, in his tantum ei transactio obest, quavis major 25. annis cā interposuit, de quib. actum probatur, non quorum actiones competere ei postea compertum est.

L IV.

Sic transactio de fideicommisso testamento relieto facta, ad fideicommissum codicillis relictū non per-

pertinet, & ideo prolatis codicillis integra est fidei  
commissi petitio.

L V.

Non tamen interim ferendus est is, qui generaliter in his quæ testamento ei relictæ sunt transgit, si postea causetur de eo solo cogitasse, quod prima parte testamenti, ac non etiam quod posteriore legatum sit.

*Et hactenus quoq; de materia transactionis sive rebus su-  
per quibus transactiones fieri possunt vel non.*

L VI.

Quod formam attinet, Transactionis aut pacto  
convento fit, aut per acceptilationem, idque rursus  
vel generaliter vel specialiter, item aut in præsens,  
aut in diem, aut sub conditione. Sed & pœna quandoque  
transactioni adiicitur, aut juramentum. Il-  
lud nihil interest, apud acta an sine actis fiat, scriptu-  
râ intercedente, an sine scripto, noctu an interdiu,  
die festo an profesto.

L VII.

Præcipua verò forma Transactionis in eo est,  
ut non gratuita sit, sed aliquo dato, vel retento, seu  
promissio fiat.

L VIII.

Neve vi vel dolo interposita sit, sed libero arbitrio & voluntate confecta. Etenim cum Transac-  
tio partium consensu fiat, ut supra Thes. 1. & 6. di-  
ctum est; consensui autem nihil tam contrarium sit,  
quam vis atque metus, quem comprobare contra  
bonos mores est. Et, teste Ulpiano, qui dolo ad-  
versarij

versarij inductus cum eo paciscitur, non tam pa-  
ciscatur quam decipiatur; consequens omnino est,  
hujusmodi transactiones ratas non haberi.

LIX.

Nec tamen quilibet metus, ad rescindendum ea  
quæ consensu terminata sunt, sufficit; sed talem  
metum probari oportet, qui salutis periculum, vel  
corporis cruciatum, continet.

LX.

Et siquidem etiam amicis intervenientibus  
transactione revera intercessisse ostendatur, argumen-  
tis apertissimis vis atque metus hujusmodi probari  
debet. Neque enim verisimile est compulsum  
transegisse eum, qui intervenientibus amicis trans-  
egit.

LXI.

Demum quod finem & effectum Transactionis  
spectat: Transactione rebus dubijs & litibus incer-  
tis finem imponit; Et non minorem auctoritatem  
quam res judicata habet. Nihil etenim ita fidei con-  
gruit humanæ, quam ea quæ placuerunt custodir i.

LXII.

Et in tantum quidem transactione bona fide in-  
terposita lites finiuntur, ut nec rescripto principis  
eas resuscitari oporteat, aut læsionis quantumvis  
enormissimæ, & vel quadruplum justæ æstimationis  
juris remissi excedentis, instrumentive post reperti  
prætextu, rescindi.

LXIII.

Ceterum Transactione lites finiuntur, quæque  
exinde

exinde actiones competunt perimuntur , vel ope exceptionis, vel ipso jure. Ope exceptionis, si solo pacto convento facta fuerit. Jure autem ipso, si Transactioni accesserit Aquiliana stipulatio & acceptilatio, vel sola etiam subdita fuerit acceptilatio sine stipulatione Aquiliana , scilicet ubi super verborum obligationibus transactio & acceptilatio interponitur.

#### L X I V .

Atque hinc igitur si solo pacto convento constet Transaction , actor si ei conventa non praestentur, adhuc primam actionem habet , qua aut consequetur quod in illam actionem deductum erat , aut id quod transactione conventum est. Eademque actio competit et si impleta sint promissa , sed dolo aliquo rei, ad transigendum actor sit inductus. Et si his casibus Transactionis exceptio opponatur, ea vel per doli mali aut in factum replicatione elidetur.

#### L X V .

Quod si ipso jure per transactionem lis extincta fuerit , per acceptilationem scilicet insecutam, vel aliter ; hoc casu, siquidem stipulatio conventioni subdita fuit, ex stipulatu ; aut si omissa verborum obligatio est, utilis actio quæ præscriptis verbis rem gestam demonstrat , vel denique de dolo aut in factum prætoria generalis ex decreto, ad ea quæ placuerunt adimplenda actori contra reum accommodatur. Eadem de dolo vel in factum actio, etiam ubi reus conventionis placita impleverit, actori dabitur, si ejus se dolo inductum ad transigendum, legitime docuerit.

C

Sed

LXVI.

Sed & conductio ob causam ex causæ non securæ capite actori, si ei placita non serventur, competit, ad hoc ut obligationem & actionem condicatur.

L XVII.

Hæc autem juris remedia ita adversus reum actori dantur, ut vice versa si actoris perfidia vel dolus arguatur, eadem & reo quoque accommodentur.

L XVIII.

Illud queritur, siquidem Transactionibus interdum subjici solet poenalis stipulatio, ut scilicet certam pœnam solvat, qui adversus transactionem fecerit, utrum is qui transactioni stat, ab eo, qui contra transactionem venit, pœnam petere, & simul commodo transactionis frui possit, an verò alterutro cogatur esse contentus: quod posterius rectius dici putamus, nisi vel rato manente pacto pœna promissa fuerit, vel transactione contra quam, ventum est, jurata fuerit.

L XIX.

Denique eum, qui major annis viginti quinque, adversus pacta vel transactiones, nullo cogente imperio sed libero arbitrio & voluntate contractas, putaverit esse veniendum, vel interpellando judicem, vel supplicando principibus, vel non implendo promissa, eas autem invocato Dei omnipotentis nomine eo auctore solidaverit, non solum actione privatum, restituta pœna quæ pactis probatur inserta,  
& re-

& rerum proprietate carere debere, & emolumento  
quod ex pactione vel transactione illa fuerit conse-  
cutus; eaque omnia eorum mox commodo depu-  
tari, qui intemerata pacti jura servaverint piissimi  
Imperatores Arcadius & Honorius rescripserunt.

## Corollaria.

I.

*An pactum sit, an vero contractus &  
qualis, certusne sive nominatus an incertus sive in-  
nominatus.*

II.

*An de controversijs ex testamento proficisen-  
tibus liceat pacisci donationis causa, non inspectis  
cognitisq; Verbis testamenti.*

III.

*An de alimentis pacisci donationis causa sine  
pratore liceat.*



... dicitur quod est in libro de laudibus et  
gloriis dei. Et hoc est quod dicitur in libro  
de laudibus et gloriis dei. Et hoc est quod  
dicitur in libro de laudibus et gloriis dei.

## Gloria

Gloria in excelsis dei et pacem in terra  
bonum et misericordiam. Gloria in excelsis  
dei et pacem in terra bonum et misericordiam.

Gloria in excelsis dei et pacem in terra  
bonum et misericordiam. Gloria in excelsis  
dei et pacem in terra bonum et misericordiam.

Gloria in excelsis dei et pacem in terra  
bonum et misericordiam. Gloria in excelsis  
dei et pacem in terra bonum et misericordiam.



~~Prof. Dr. Schröder, Chem.~~

~~Alfred Schröder~~

R. U. Jan 1607

exinde actiones competunt perimceptionis, vel ipso jure. Ope ex pacto convento facta fuerit. Jur Transactioni accesserit Aquiliana acceptilatio, vel sola etiam subdita fu sine stipulatione Aquiliana, scilicet borum obligationibus transactione interponitur.

#### LXIV.

Atque hinc igitur si solo pactet Transaction, actor si ei conveniatur, adhuc primam actionem habet quod in illam actionem decidit quod transactione conventum actio competit et si impleta sint praelatio rei, ad transigendum actor si si his casibus Transactionis excepta vel per doli mali aut in factum repli-

#### LXV.

Quod si ipso jure per transactionem fuerit, per acceptilationem scilicet aliter; hoc casu, siquidem stipulatio subdita fuit, ex stipulatu; aut si obligatio est, utilis actio quae praesertim demonstrat, vel denique datum praetoria generalis ex decreto cuerunt adimplenda actori contraddatur. Eadem de dolo vel in factu ubi reus conventionis placita impletetur, si ejus se dolo inductum ad timere docuerit.

